



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

1,684







ADIVNCTVM TESTAMENTI,  
ILL<sup>MI</sup> ET REVER<sup>MI</sup>  
IN CHRISTO PATRIS ET  
DOMINI, D. IOANNIS DE-  
METRII SOLIKOWSKI, ARCHI-  
EPISCOPI LEOPOLIENSIS,  
&c. &c.

*Ex Grigo Basili Corby Basili*  
**Cum Paraphrasi**

MATHIAS SISINI S. Theol. Doct. C.S.



Argentum electum lingua iusti, cor autem impi:  
rum pro nihilo. Prouerb. X.

CRACOVIAE,

In Officina Iacobi Sibeneycher, Anno Domini,

1603. 16.053

IN ARMA  
Illustriss. Ioannis Dem. Solikowski, Archiepi-  
scopi Leopolieñ. &c. &c.



Nobilis o cornu quadrupes, quo te incitat ardor  
I, fronte invicta sydera summa feri.  
Præclarisq; tuis & raris dotibus cia,  
A eternum Lechico commodus esto solo.

ADIVNCTVM TESTAMENTI,  
ILL<sup>MI</sup> ET REVER<sup>MI</sup> IN  
CHRISTO PATRIS, DOMINI, D. IO<sup>R</sup>  
ANNIS DEMETRII SOLIKOWSKI,  
ARCHIEPISCOPI LEOPOLIEN.  
&c. &c.

Quorum non deboeo, nec vo-  
lo obliuisci in morte.

1. Propriæ salutis & perseverantiæ, in fide, spe  
& charitate.

2. Deprecationis offensarū omnium: quamuis  
neminem puto me lassisse, nisi ex zelo; Deus ta-  
men omnia melius nouit.

3. Remissionis perfectæ iis qui me offendebant,  
& ad cordis amaritudinem adducebant, puto com-  
merito meo nullo. Fuerunt autem tales, ex omni-  
bus statibus. Parcat illis Dominus Deus, qui no-  
bis omnibus pepercit.

4. Regis mei postremi, cuius tempore morior. Be-  
nedicat illi Dominus. Mortuis requiem: viuo lon-  
gam felicitatem opto. Sigismundo Augusto, An-  
nae, Henrico, Stephano, Sigismundo III. seruitum  
est fideliter, à non molesto exactore.

5. Regni & Patriæ carissimæ. Seruet te diu sospি-  
tem,

tem, & claram & liberam Dominus. O Patria cara,  
multoties & in multis à scopo aberrasti, & teturpi-  
ter dedisti, & ad seruitutem tibi fores aperuisti; quia  
cultum veri Dei in multis locis deseruisti, & consilia  
recta contempsisti.

6. Coëpiscoporum meorum ; Deus vobis ô  
Fratres honorandissimi det vigilantiam super vos &  
super greges vestros. Ratio stricta imminet. Orate  
Dominum Deum & pro meis culpis ac defectibus.  
Plus aliis præstare debui, minus vobis omnibus præ-  
stisti. Iuuate fratrem vestrum mortuum, qui viuus  
vobis semper satisfacere volui.

7 Capituli mei, cleri mei, & ouïū Christi Domini  
mihi cōmissarum : Multis non placui, nec tām pla-  
cere quām prodesse volui. Amrior interdum, sed  
amans semper vestri fui. Nunquam cuiquam, nisi  
eius moribus offensior. Imperfecti quærite viam  
perfectionis. Mediocres proficere satagite. Perfecti  
philautiam cauete, humilitatem retinete, supercili-  
um deprime. Societas nominis I e s v sancta, ora  
pro me, & da veniam zelo meo, cui facultas defuit. Item  
Rosarij, S. Anne, Corporis Domini, S. Ioani  
Baptistæ, Misericordiæ, Cordigerorum, &c. met  
Deo commendate, vt defectus meos mihi remittat

8. Collegarum Senatorū. O senes patrię, patriam  
antiquo amore colite, moribus & virtutib. antiqui  
conseruate. Rebus propria nomina date, concordia

seruare, æquitatem diligite, æqualitatem custodite,  
ambitioni occurrite, iustitię semper fautores estote.

9. Matris Academię Cracouieñ. Debeo tibi quic-  
quid fui Polonus Polonę tua tantū vbera lambens,  
tibi me & nūc cōmendo moriens & mortuus. Plus  
debui quām præstisti. Sarciat imperfectum meum  
S. Anna mater matris Domini, & S. Florianus.

10. Fratrū, consanguineorū & familiæ: Parcite si  
vos multū iuuare non potui. Feci quod potui. Faci-  
te vos quod potestis in alios pari fide. Nemo vestrū  
fame mortuus est, nec morietur fidens Deo. Patriæ  
ne deeste, præmia nō expectate nisi sempiterna. Vir-  
tuti ea non deerunt, vel toto mundo reluctante.

11. Familiariū & domesticorū: Parcite quia & ego  
pepercī. Si nocui admonēdo, ecce iam taceo. Si reti-  
nui preciū, vos ipsi testes. Si quis me inscio in se iniū-  
rius, sibi det veniā: & iterum nē impingat, caueat.

12. Pauperum, & scholarū: Tenuem dispensato-  
rem, sed vestri boni cupidū habuistis. Sit gratū orare  
pro me, vnum AueMaria. Nemo pauper nisi animo.  
Fortuna nulli iniuriā facit, cui Deum sequi lubet.

13. Funeris proprij. Sepelite vt vultis. Ego mor-  
tuus nō superbio esca vermium, qui viuus inter Re-  
ges & Principes me terram semper memini.

14. Gratitudinīs erga Deum Opt: qui hominem  
alicuius loci esse voluit, Christianum fecit, sacerdō-

tio ornauit, Pastorem sui populi constituit, rexit, gubernauit, defendit, in variis casibus misericorditer subleuauit.

## Gratias etiam ago.

1. Parentibus, pro diligentí educatione.
2. Præceptoribus. Adamo Lasceñ, Ioanni Wierzeyski, Lucæ Cieskouio, Benedicto Kotarski, Iac. Gorscio, Obrembio, Bodzencinio, Sadkouio, Alb. Nouicampiano, pro benevolézia & fauore singulari.
3. Dominis meis. Iacobo Vchanski Archiepiscopo Gnesneñ, Valentino Debinski Regni Cancellario, Ioanni Chodkiewicz Castellano Wilneñ, pro primordijs exercitiorum in Repub.
4. Patronis. Stanislao Hosio Cardinali, Martino Cromero, Varmiensis Ecclesiæ Episcopis. Stanislao Karnkowski Archiepiscopo Gneznensi, Hieronimo Rozdrazowski Cuiauieñ, Petro Wolski Ploceñ, Laurentio Goslicki Posnanieñ, cum quo in studiis Cracoviæ creui, Petro Kostka Culmeñ, Valeriano Vilnensi Episcopis, pro declarata in multis gratia, benevolentia & beneficentia.
5. Amicis. Ioáni Kostka Palatino Sendomirieñ, Nicolao Mielecki Palatino Podolieñ Ioanni, & Andreæ Técinii fratribus Senatoribus, Stanislao Zolkiewski Castellano Leopolieñ. Nicolao Herbert

Castellano Præmyslieñ Capitaneo Leopolieñ, Chri-  
stophoro Rozdrazewski, Ioāni Lesniowski Pocilla-  
tori Leopolieñ, Stanislao Krasinski Archidiacono  
Crac: Hieronimo Powodouio Canonico & Archi-  
presbytero Crac: Alberto Oczko Phisico Regio ,  
Augustino Rotundo, Alberto Przetocki, pro omni  
studio & interdum pro insignibus officijs. Miełecio  
verò, pro insigni eleemosyna, in pios vsus Ecclesiæ &  
pauperum Leopolienium.

6. Consanguineis & fratribus: Stanislao Gomo-  
linski Episcopo Luceorieñ , Alberto Laski Palatino  
Siradięñ, Ioanni Ostrorog Castellano Posnanien:  
viro digno maximo loco Reipub. Iacobo Pretficz  
Castellano Kameneceñ Capitaneo Trebowleñ. Do-  
mui Christoporski. Item fontibus domus meæ pa-  
terne, Phredrow, Boniecki, Sienicki, Trzaskow, Po-  
bogow, Oxow , pro multis signis amoris & bene-  
uolentia.

*Retribuat ea omnibus misericors & iustus Dominus  
gratia sua viuis, & mortuis gloria sempiterna.*

1. **R**ogo vos magni in Repub: viri, Petre Tyli-  
cki Episcope Varmiensis & Regni Vicecancellarie,  
Nicolaë Zebridoui Palatine Crac: Ioānes Zamoy-  
ski Cancellarie & exercituum Regni Dux, vosque  
alii

alii patrię Principes, seruate hanc Rempub: ab interitu. Agitur causa Dei, conscientiae, honoris vestri & premij sempiterni. Præstate vos viros, cū honor Dei id requirit. Non estis imbelles: Ornauit & armavit vos rebus omnibus hæc patria, omnia illi debetis. Nepotes meos habete etiā vestræ gratiæ commendatos, si boni erunt. Et te Georgi Mniszek benefactor meus Palatine Sendomiria, minor licet ætas dispare habebat, nunc vñus pietatis iunxit, & adhuc magis iunget amor.

2. Bernarde Maciejoui Episcope Crac: amabilis, tu meo funeri, ego tuo operam dare promisimus. Si poteris spero facies, & me in nepotibus meis amabis. Nosti quo in te semper fuerim animo, & Deus melius.

3. SIGISMUND Rex, rogo te per Dei misericordiam, ut talem huic loco Pastorē prouideas, qui laborem sustinere possit, in omnes partes vigilet, & zelum Dei habeat. Fratrem etiam Albertū tuæ Majestati cōmendo. Fecit omnia quæ potuit tua causa. Et alter tibi Stanislaus seruiens mortuus est. Filii eorum rogo sis clemens pater & dominus.

4. Alberte frater, seruisti mihi, vti bonum fratrem decuit. Rependat tibi Dominus Deus, quod ego non potui.

*Valete omnes & mori mementote.*

# ECHO.

Ob QVIS non lugeat quia te conficit, mæsta Transyluania,  
Quam sic desolatam, vndeque concussum, reliquit Hungaria?  
Quam sœux flagauit, cum affinem fecit te confederatio.

Echo: FOEDARATIO.

Ob VERE quod feda, & nec estratio, qua sic periclitaris:  
Imo vt video, es mala ad cō, vt iam agonigeris.  
Splendida prænissa, procurarunt ista, quæ vt nubis disperiit.

Echo, PERIIT.

En NOVIT hoc orbis, quod sic perierit. Sed cur omnes ignorant,  
Et cur credideris, tam facile eis, stupentes te accusant?  
Quod nec cognoueris, cum sic deceptasis, tu in hac iniquare.

Echo QVARÆ?

IRAM Dei esse, quæ venit super te, nec tu potes negare:  
Sed quod merueris, tuis infinitis peccatis, hanc concede,  
Et mala Hæresi, fonte omnis mali, venit quæ te inscio.

Echo, SCIO.

DEI est punire, ferro, peste, igne, te sed non ex odio:  
Sed vt conuertaris, ne sic affligaris, in hoc purgatorio:  
Si non conuerteris, vt stuprā peribis; non exibis ex eo.

Echo, EO.

Veni ergo cito, in corde contrito, à via hac pessima.  
In qua corruisti, Deum irritasti absq; pænitentia.  
Et ipse conuersus, & dolore tactus, confringet hoc examen.

Echo: AMEN.

I. Tim: i.

Regi seculorum immortali & inuisibili soli  
Deo, honor & gloria in secula seculorum.



7771  
1

noz 13

PARAPHRASIS

In Adiunctum Testamenti

ILL<sup>mi</sup> ET REVER<sup>mi</sup> IN 9  
CHRISTO PATRIS ET DOMINI,

D. IOANNIS DEMETRII SOLIKOWSKI  
Archiepiscopi Leopolien. &c. &c.



AUTHORE

*Mathis Sifnio S. Theologiae Doctore C. S.*



*Ad Reverendiss. in Christo Patrem ac Dominum,*

**D. HIERONYMVM SOLIKO-  
WSKI VOCATIONE DIVINA ABBA-  
TEM VACHOCEN. &c.**

**E**N habes nouissima verba, magni illius Archiepiscopi Patrui tuis  
inconditis ligata numeris, fateor; sed maior meus ex inopinato illius obis-  
tu conceptus, conditiores non permittiebat. Itaq; eos, quales quales sunt,  
admitte queso; vel ea saltē causa, qui a Patrui tui, optimi & sapientissimi  
Antistititis, grauiſſima ſenſa, & quo ad fieri potuit, etiam verba comple-  
ctuntur. Aſſolent vulgo Comœdiarum actores, in extremo actu, optimos  
ſeſe preſtare: atq; ita plane maximi qui q; & clarissimi viri, in illa qua-  
ſi extrema viſeſca, verba & actiones vniuersas, admirabilis ſapienſie,  
& aliarum virtutum quaſi ſale conſpergere. Vnde eſt, quod d. hec tanti  
viri ultima effata, non ſolum tibi, ſed & aliis omnibus qui ea ſiue ſoluta,  
ſiue ad numerum redacta legerint, cum preſtantis prudentie, tum &  
aliarum plurimarum virtutum quaſe affatim redolent, nomine probentur.  
Nam cui queſo equorum estimatori, hec ſapiens in dicendo simplicia  
tas & libertas, hic calens tantoperē erga Rempub. affectus, hic erga  
omnes omnium ordinum homines, tam officioſa voluntas, hic tam purus &  
niueus animus, hic eius pro Domo Dei tam vehemens zelus, non ſum  
toperē placeat? Tibi vero, ut hec etiam cui cuimodi opella mea, ſi non  
probata, ſaltē excuſata ſit, vehementer cupio. Et oro Numeñ eternum,  
ut te hic in Patrue virtutis hereditate diu conſeruet in columen. Lco-  
poli Kalendis Iulij, M. DC. III.

Deuotissimus cliens & exorator,

*Mathias Sifinius S. Theol. Doctor.*

Ad III<sup>mum</sup> & Reuer<sup>mum</sup> Archi-  
episcopum Leopolieñ. &c. &c.

Demetri, optime Præsul, æquus esto,  
Quod tua optima verba, mortis atro  
Dicta in limine, sum ausus illigare  
Vinculis numerorum inelegantum.  
Non sum qualis eras Poëta: non sum  
Arguti, sapientis & rotundi  
Oris: quale tuum fuisse constat:  
Sed virtutis & eruditionis  
Summæ, iudicij ingenij; summi,  
Quæ deposita tua fuere mente,  
Sum mirator & approbator ingens,  
Laudandi subeant disertio[n]a  
Munus labra, animæq[ue]; doctiores.

Idem

PARAPHRASIS  
In Adiunctum Testamenti,

ILL<sup>mi</sup> ET REVER<sup>mi</sup> DOMINI,  
D. IOANNIS DEMETRII SOLIKO-  
WSKI, ARCHIEPISCOPI LEOPOLIEN.  
&c. &c.

Ista sunt rerum potiora, quorum  
Lubrica vitae statione cedens,  
Debeo tota mem'or esse mente,  
Discipioq;

1. In fide in primis statuo manere,  
Roma quam Petro didicit docente;  
Æneus donec sopor occupabit

Frigida membra;

Ac licet pectus variii reatus  
Conscium, iusto trepidet timore,  
Excidat nunquam tamen inde spes, in

Te bone I E S V.

In tua, dona rogo, charitate

Ponat hos artus scelerumq; purus,

Ad tuum fidens veniat Tribunal,

Spiritus iste,

2. Verbulo si cui, opera aut ini quis  
Extiti, crimen dolco patrassc,

Atq;

Atq; patrati veniam reposco  
Supplice corde.

Neminem quamuis pupugisse credo,  
Illiū præter studium salutis ;  
Cordium inspectoR melius sed ista

Omnia nouit.

3. Ast & his, qui me merito absq; iure,  
Quando læserunt ratione quauis,  
Dono commissum scelus vſq; & vſq;  
Pectore puro.

Cæterum tales statibus fuerunt  
Omnibus multi, Deus vnuS illis  
Parcat, vt nobis pariter pepercit  
Omnibus idem.

4. An mei Regis Dominiq;, cuius  
Vado sub sceptris, rigidum ad Tribunal  
Principis Regum Dominiq;, possum  
Immemor esse?

Maxime Arctoi dominator orbis,  
Lechiæ Princeps pater atq; magnæ,  
Opro, cunctorum benedicat author  
Te, ac tua scepta.

Viue longæuus, tua prosperentur  
Orsa, ad optatam veniantq; metam  
Omnia, & nunquam tua non coronet

Sors bona vota.

Annæ & Augusto, Stephano, Tibiq;;  
Certè & Henrico studui fidelis  
Seruus, exactor minus at molestus

Esse & haberet.

Mortuis, rerum atq; hominum repertor,  
Astricas inter requiem choreas  
Perpetem donet: Tua sed secundet

Hic Sacra Sceptra.

Seruus ut cælum repeatas, diuq;  
Imperes felix populo Polono,  
Hostibus bello domitis, beatâ

Pace repartas

5. Patria ô dulcis, studio fideli  
Præ meis rébus mihi culta semper;  
Oro, si de te merui quid, esto

Grata laborum,

Sospitem sic te Deus integramq;;  
Splendidam, vinci indocilem q; seruet,  
Nesciam & seruile iugum recuruo

Sumere dorso.

Sæpè & in multis e quidem misella  
A scopo multùm (mihi crede) abisti:  
Sæpè te in præceps veteri dedisti

Calle relicto.

Sæpè ad indignam tibi seruitutem  
Sponte constrauisti iter, atq; latum

Ostium

Ostium, es conata tibi ad ruinam  
Pandere sæpè.

Quòd fidem cultam pro auis auisq;;,  
Sanguine ipsorum quoq; copioso  
Sæpè testatam, malefana passim  
Deseruisti.

Quòd dq; spreuisti benesuada verba,  
Con fili recti : meritò repulsus  
Te Deus pellit, miseriſq; sæpè  
Cladibus vrget.

6. Præsulum o cætus venerande, Fratres  
O mihi semper studiosè amati,  
Ecce vos cæcum præco ad sepulcrum  
Puluis & vmbra.

At Deus vobis vtinam super vos  
Det super vestras vigilare ouesq;;:  
Stricta enim post hanc ratio manet vos  
Credite vitam.

Quæ mihi mox est facienda, vobis  
Incubat, quando fuerit supernæ  
Curiæ vilum : mihi nunc, idem post  
Vestra feret sors.

Iudici, si quæ est pietas, scuero,  
Pro meis culpis, rogo supplicate:  
Nè meam causam rigido velit de-  
cidere Iure.  
Debui

Debui plus quam reliqui laboris  
Sumere, in Christi grege prouehendo  
Huc, vbi fixa est patria, & beatæ

Pascua vitæ.

Attamen vobis minus vniuersis  
Præstatum est à me, date opem benignam  
Fratri in ærumnâ posito, auxiliq;

Omnis egenti.

Mortuum quæso haud pigeat iuuare,  
Qui suam vobis studuit probare  
Rebus in cunctis operam, manente

Præpete vita.

7. Iam sacerdotum chorus ô meorum,  
O' mei dulces socii atq; fratres,  
Túq; grex Christi Domini innocentí

Empte cruento.

Vósne discedens regione vestra,  
Tota quò carnis veniat necesse est  
Massa, deponam ex animo ? valete, &

Parcite fasso.

Plurimis vestrūm haud placui, placere  
Nec tamen tantūm volui, medullis  
Quantus in totis residuebat ardor

Auxiliandi.

Sæpè sum vobis oculi seueri  
Vilus, & frontis rigidæ, atq; acerbi

Oris

Oris : at vestri fueram profecto

Semper amicus.

Nemini offensus memini fuisse,

Eius absurdis nisi putidisq;

Moribus : personæ amor exigebat

Criminis iras.

Qui in viam Christi modò vos dedistis,

Quærite angustam solidæ salutis

Semitam : & vos qui medium tenetis,

Carpite summum.

Quiq; virtutum iuga septa spinis,

Iam penetrasti pede perbeato,

Turgidum fastum cane & angue peius

Oro cauetis.

Spiritus, virtus solida odit, altos :

Cæteris quantò magis eminetis,

Tantò in illorum medio minores

Esse, studete.

Nominis I E S V sacer ordo, zelo

Da meo quæso veniam, probare

Quem quod haud vñquam parili valebam

Re, dolet & nunc.

Turba, quæ Diuinæ Auiæ potenti

Sub clientela es, teneris ab annis

Mente quam pura colui, hanc fauentem

Fac morienti.

Vosq;

C

Vosq; coniuncti pietate cætus  
Cæteri, vestro precibus sodali,  
Cælitum ad sedes superas, beatum

Pandite limen.

8. O senes magnæ patriæ, salutis  
Illi⁹ nunquam satis este amantes:  
Vt patres vestri coluere, cultam

Semper habete.

Moribus priscis pietate præsca,  
Optimam seruate precor parentem,  
Atq; res, semper proprio notate

Nomine, cunctas.

Regnet in vobis amor æquitatis,  
Pacis, & gratæ paritatis, omnes  
Quæ domat lites, reprimitq; fluctus

Dissidiorum.

Ambitus fædi cohibete pestem,  
Publicis cheu grauiter nocentem  
Rebus, & iustum colite atq; honestum,

Pectorc toto.

9. Per tot effulges Academia annos  
Vrbe quæ Craci, bona disciplinarum  
Omnium nutrix, Lechiciq; fulcrum

Nobile Regni,

Debeo quicquid fueram libenter  
Mater ô dulcis tibi, namq; tantum

Ex tuo

Ex tuo suaui iuuenis pependi  
Vbere & ore.

Et tibi me nunc abiturus illuc,  
Vnde iam nulli remeare fas est,  
Anxiè commendo : tui memor sis

Obsecro alumnis.

Debui plus, quām tibi præstatum à me est:  
Sancta sed Matris Domini Anna mater,  
Id tibi vbertim, quod ego haud valebam,

Ipsa refundat.

10. Nunc mihi eiusdem sociate vinclo  
Sanguinis cætus, cupio remissum:  
Plurimum si non potui tuis suc-

-currere rebus.

Ecce feci quod poteram & licebat:  
Vos quoq; affectu parili fideq;  
Cæteris præstate, quod & licebit

Et poteritis.

Quem fames vestrū rapuit maligna?  
Nec Deo fultum rapiet: perit sic  
Nemo, nī cælo priūs hunc relinquat

Cura Tonantis.

Patriæ dulci rogo ne deeste,  
Néue mercedem nisi sempiternam  
Quærite, hanc virtus comitem fidelem

Semper habebit.

Orbe vel toto renuente, Virtus  
Pressa paulisper, caput ipsa tandem  
Tollit, & liuoris inania altè  
Spicula ridet.

11. Pauperes, & qui teritis scholarum  
Angulos, vos me tenuem probastis,  
Sed boni vestri nimis appetentem

Esse patronum.

Paululum iuui : neq; magna posco :  
Vel semel Matrem Domini inuocate,  
Reddat ut natum mihi in hoc benignum

Tempore duro.

Pauper est nemo, nisi qui domare  
Spiritum nescit cupidum, nec arca  
Ditat argento grauis : at quieta, &

Iusta beat mens.

Nulla tam sors est grauis aut iniqua,  
Pectori quæ non benè præparato  
Sit leuis lenisq; : Deum sequenti,

Dulcia cuncta.

12. Qui mihi fidi fueratis vñquam  
Ad meos iussus placidos ministri,  
Gratias vobis ago : & oro, si in quo  
Visus amarus :

Parcite, ut parsi : nocui admonendo :  
Ecce iam tandem taceo & tacebo,

Atq;

Atq; vos ipso s pretii irretenti

In uoco testes.

Inscio si me sibi quisquam iniquus,

Hic sibi donet veniam, maloq;

Hoc suo discat scopulos cauere

Tempore quo quis.

13. Funerum pompas nihil superbas

Aestimo: ut vultis sepelite amici

Mortuum corpus; modò mens Olympi

Intret in aulam.

Mortuus, fastus renuo insolentes,

Vermium factus misera esca, summos

Qui inter heroas residens sciebam

Me cinerem esse.

14. At, soli, astrorum pelagiq; Princeps,

Quæ tibi grates satis esse possunt,

Pro tuis donis, quibus immerentem

Me decorasti?

Gratia hæc ingens tua Christianus

Quod fui, cultor fidei vetustæ,

Quam tua in terras tulit ex Olympo

Vnica proles.

Quod sacerdotum numero in tuorum,

Quod tui Pastor populi fidelis,

Calibus quem tot pius eruisti

Atq; periclis.

Debeo vobis pater atq; mater  
Plurimum, quod me teneris ab annis,  
Artibus iuneta pietate honestis  
Expoliisti.

Gratias vobis refeto magistri,  
Et mei quondam Domini, Patroni,  
Atq; fautores, socii, atq; amici, &  
Sanguine iuneti.

Pro suo cuiq; officio & fauore:  
Quæ mihi eunq; exhibuistiis unquam,  
Redditor iustus Deus, ista vobis  
Cuncta reponat.

15. Oro vos magni proceres, potentis  
Lechia, si quid prece possum apud vos.  
Omnium Bernarde hominum fauore,  
Ampliter aucter.

Petre Tylici: reliquiq; tebus  
Præsulæ cunctis penitus valentes:  
Tu Zebridoui Nicolæ; tuq;  
Magne Zamoisci,

Hostium terror, stupor vniuersitatem  
Magnus Europæ, patriæq; certa  
Anchora afflictæ, bone Dux Polonæ

Militia;

Patriam hanc dulcem, misera à ruina  
Consili nœruis retinet sani,

Res Dei, vestræ hic agiturq; famæ  
Atq; salutis.  
Cùm Dei laus ac honor id requirit,  
Vos viros præstate, patescat vt tunc,  
Patriam quantum veterem & colatis  
Relligionem.  
Rebus ornauit patria vniuersis  
Ista vos, quid ni quoq; debeatis  
Tam bonæ, & vobis nimium fauenti  
Omnia matri?  
Si boni & recti fuerint tenaces,  
Gratiam ac vestrā sibi demerebunt,  
Sint mei vobis etiam nepotes  
Obsecro cari.  
Qui Stanislai resedes Cathedra  
Nobili Præsul, Macie ouiorum  
Lumen, in mentem memorem recurrente  
Mutua pacta;  
Quippe promisisti operire terra  
Hos meos artus: simili obligando,  
Si prior vita misera hac abires,  
Officio me.  
Si tibi integrum fuerit, manebis  
Credo promissis, veteremq; largè  
In meo nunquam mihi non probabis  
Sanguine amorem.  
Tu


Tu benè, & Diuūm melius pater scis,  
Quām tibi addictus fuerini & fidelis;  
Quām q; te puro colui per omne  
Tempus amore.


17. Rex Sigismunde, obsecro, da Cathedræ huic  
Præsulem talem, patiens laborum  
Qui sit, & partes vigilans in omnes  
Muneris huius.  
Fratri Adalberto pius & benignus  
Sis rogo: quiequid potuit libenter  
Fecit, ut seruus patriæ tibi q;  
Commodus esset.  
Ac Stanislaus tibi seruiendo  
Frater è vita ante diem recessit;  
Filiis clemens herus vtriusq;  
Esto paterq;  
18. Frater o Alberte, nihil remisti,  
Quod bonum fratrem decuit; rependa  
Id tibi largè, quod ego haud valebam,  
Arbiter orbis.

Cui honor & gloria in omne  
æcum.

712/8







7731  
748

